UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Antoninvsm. 2. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

S. ANTONINVS M. *2. Septembris.*

POterat ANTONINVS è Galliis oriundus ſorte ſuâ contentus nobilem & in digitis anulum & in pedibus lunulam jactare, ſed nimiùm quantùm ambitioſus purpuram inſuper auſus eſt ſperare, quam ut cælum illi lubentius pingeret, non dubitavit, oſtro deficiente, ſanguinem promittere. Incredibile enim dictu eſt, quàm inde à puero pro Chriſto hunc fundere geſtierit. Et verò non paſſus repulſam eſt, æternâ præſertim virginitate candidatus: ſed ſacerdotio initiatus cùm baculi ictu populis ad Chriſtiana ſacra adductis undas dediſſet, ipſe altero, ſed gladij, ictu promiſſum diu cruorem dedit, utque hic copioſior flueret, corpus in partes ſectum, partes in aquas ſparſæ. Sed præclarum oſtrum, martyris inquam ſanguis omnis in undis officioſus coivit, ipſæ undæ ut ne tumulo ANTONINVM prohiberent, penitus abſceſſere. Iam caput nobile volucres cæli mentes aquilas indutæ, naviculâ ad Principis Feſti, quem Chriſto martyr pepererat, regiam uſque, ſecundo flumine, deduxerunt. At Feſtus Divi ædes templum & capitis ſacri monumentum eſſe juſſit. Nos etiam pro meritis ANTONINVM laudaremus, ſi vel unam illæ de quibus diximus, volucres pennam dediſſent. Ex *Mombritio & Petro de Natalibus.*

Noli contemnere plebejum, quia nobilis es, noli deſpicere ſervum quia potens es; noli pauperem faſtidire, quia dives es: nunquid nobilior, nunquid potentior, nunquid ditior es Chriſto? ille pro te iſta, quæ tu deſpicis, elegit. S. Ambroſ. ſuper Pſalm. Beati.